

**www.e-rara.ch**

## **Collectio Variorum Tractatum**

**Parisiis, MDCCXVII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rp 60 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-61247>

Emundus Richerius doctor theologus Parisienis [...].

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## EMUNDUS RICHERIUS

*Doctor Theologus Parisiensis , universis ,  
qui veritatem , pacem atque unitatem  
justi regiminis Ecclesie Christiana ad-  
mant , salutem atque aeternam felicitatem  
precatur.*



Rimos pictores, artis quam profitebantur, usque adeo rudes & ignaros extitisse memorant, ut ea quæ pingerent, vix aliter quàm illorum nomine sic adscripto, exprimere & designare possent, *hic est homo, hic est bos, hic est equus, canis, &c.* Hercules quidem odia, quibus plerique hujus ævi Zelotæ utrinque fervent, sic eos transversum rapiunt, ut multò plus iracundiæ & pravæ affectioni, quàm veritati inter scribendum indulgeant; ex quo accidit, ut de illorum libris haud aliâ ratione, quàm ex Epigraphæ judicare possimus, quoniam calumniis & sophisticis illusionibus adedò turgent ac pütent, ut homines eruditos, aliquâ æquitate animi ac judicio præditos, à suorum librorum lectione omninò absterreant. Profectò, ut de me ipso loquar,

post Henrici Magni necem, cum exiguam lucubrationem de Ecclesiastica & politica potestate in vulgus emisissent, tantumque odii, & potentissimorum inimicorum mihi ex ea re creari viderem, ut magno etiam perduellionatui verteretur, si quicquam adversus meos convitatores lucubrarem: Dominum Jesum Christum obsecravi, quando propter temporum iniquitatem & graves factiones, neque pro Catholica & Evangelica veritate justis regiminis Ecclesiae, neque pro suprema & independenti politicae majestatis auctoritate divinitus instituta & propagata mihi tutum esset hircere, saltem aliquando illos dies illucescere pateretur, quibus me vivo aut mortuo ea edi & legi possent, quae in eam rem commentabar. Maximè verò quòd omnium hominum voce & scriptis confirmata sit notio inculpatæ tutelæ defensionem ita jure divino & naturali esse subnixam, ut neque ulli hominum affecto injuriâ unquam noxæ sit, neque etiam à quoquam mortalium legitimè prohiberi, multòque minùs per vim eripi queat: accedit etiam quòd ex vulgi & Sophistarum consuetudine nunquam mihi in animum induxerim maledicta maledictis, & sophisticas cavillationes aliis cavillationibus turpiter & iracundè rependere, sed omnibus neglectis in me certatim opprobriis, forti & christiano animo, veritati necessariis regiminis Ecclesiae planè oppressi patrocinari. Quæ controversia, si ad ejus appendices & hodiernum Curiae Romanae dominatum attendamus, certè omnibus aliis anteposuit in suis operibus. Quocirca, lector, te etiam atque etiam obsecro, ne vel ex opinionum præjudiciis, quæ jam pridem hominum obnoxiorum factionibus inveterascunt, vel ex magna gratia & potentia eorum qui me sub ætate pupillari Regis in dicta causa damnarunt, de hac mea defensione statuas; neque tuam interponas sententiam, priusquam omni seposito animi motu, consideratè accuratèque, & ut Patres antiqui loquebantur, secundum regulas cognoveris. Quandoquidem certissimum est neminem de iis, quæ non apprimè novit, legitimum Judicem esse posse. Porro ut hic maturè & Canonice judicium feratur, non solâ scholasticæ Theologiæ, verumetiam exactissimâ Ecclesiasticæ historiæ, Conciliorum & Patrum antiquorum cognitione opus est. Unde qui ejusmodi subsidiis non sunt solide instructi, & nihilominus ex hodierno atque absolutissimo Curiae Romanae principatu censuras contra juris communis & aristocratici regiminis Ecclesiae vindices, quasi adversum hæreticos, schismaticos, perduelles & monarchomacos, sic enim paratragædiant, distringunt, certè novi, orbis populis similes videntur, qui ad primum Galli gallinacei, equiovi-

culæ, atque aliorum fecundissimorum & mansuetissimorum animalium quæ nunquam viderant, velut ad horribilis excetræ aut alterius monstri pestiferi conspectum expavescebant: hincque illa Thraſonica magistri Andræ Vallii jactatio, initio sui operis de *suprema potestate Papæ* in Epistola nuncupatoria ad Cardinalem Joyeusum, ubi gloriatur se hydram errorum Richerii debellasse. Sed te unum rogo, Lector, ut si has lucubrationes, superſtite Richerio, in vulgus edi contingat, & forſan aliquid erroris, vel potiùs hallucinationis in eis ostendas, me me illorum, ſervatâ legis Evangelicæ normâ & moderatione, commonefacere nequaquàm graveris; ut enim homo ſum errori obnoxius, ita tibi polliceor me quamprimùm omnia emendaturum; & ſi Eccleſiæ Catholicæ optimæ parenti videatur, me in omnium oculis culpam & lapſum publicè deprecaturum: inſuper nolo te latere, ſex annis circiter poſt primam ſcriptionem hujus deſenſionis, cùm in eius recenſionem incumberem, Martinum Decanum doctiſſimum Theologum publici juris feciſſe opuſculum de *Republica Eccleſiaſtica*, quo quidem jure & dogmaticè B. Petri & Eccleſiæ Romanæ Primatum contra Antonium de Dominis Spalatensem Episcopum propugnat: & ſicut in hac parte ejus ſtadium & ſententiam vehementer laudo & amplector, ita eis nullo modo poſſum aſſentiri, quæ in præfatione libri ſecundi venditat, hæc tria pro uno atque eodem effato conſtituens. 1. *Petrus eſt viſibile caput totius Eccleſiæ loco Chriſti.* 2. *Petrus eſt vicarius Chriſti in regimine totius Eccleſiæ.* 3. *Petrus habet Primatum totius Eccleſiæ.* Enimverò duæ priores propoſitiones niſi ſanè intelligantur accuratèque diſtinguantur, abſolutam inſallibilem involvunt monarchiam; à qua primatus toto cælo, ſicut res divinitus inſtituta à re penitus imaginaria & fictitia, diſtat, ut hoc opere demonſtrabitur, conformiter ad ea quæ axiomate xv. & xxxi. Apologiæ noſtræ diſputavimus. Interea dum ne animi pendeas, quid verum in hac deſenſione tractetur, hîc in primo limine ſeriem omnium librorum & capitum, quam unius horæ ſemicirculo facilè perleges, tibi præ oculis delineandam cenſui. Vale.



